

32 Verbum illud *Convenit*: Obligationem non importat, et ultra convenientiam non procedit, ex ipsius vocis vera significatione: sed in hoc casu videtur importare obligationem ac si diceret: si ratio temporis, vel loci ferat, tenentur; sin minus, convenit. Quando liceat sine praevia Confessione celebrare, vel ministrare, vide Tonell. l. 1. c. 1. §. 2.

§. V. Quaecumque diei, ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea Populum saepe prout se se offeret occasio, praemonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuscumque incommodi habita ratione.

33 Boni Pastoris solertia promptum ad ovium suarum levamen Pastorem requirit ad omnes horas diei ac noctis. Error hic notandus, et objurgandus venit Parochorum illorum, qui extra Parochiam degunt per dies, noctesque, absque substitutione idonei Sacerdotis, et ministri in Ecclesia propria; adeo ut, ne idonei Parochus, ignoretur locus ubi degat, seu pernoctet et ex hoc Sacramentis defraudentur Parochiani. Quaecumque igitur diei, vel noctis hora, sive prandeat, sive coenet, sive dormiat, sive horis canonicis incumbat, sive oret; seu quidquid aliud, non tamen si Sacrum agat, debet esse ad munus suum paratus. Verbum enim illud nostri Textus *quacumque hora*, generale est, et oritur ex obligatione justitiae. Barb. d. c. 7. n. 12. Si Sacrum conficiat, ut supra enunciavi, videtur quod non debeat imperfectum relinquere Sacrificium, ad hoc ut aliud Sacramentum ministret, nonnullas vero doctrinas, et rationes in contrarium affert Pasqualigo *de Sacr. nov. leg. qu. 195. per tot.*

34 Quaerit hic curiose Possevin. c. 5. n. 34. qua diligentia teneatur Curatus properare in administrandis Sacramentis? Et respondet. Ubi non adest necessitas festinandi, administret cum gravitate, et decenti festinatione. Duplici modo potest intelligi ista festinatio: vel in die, vel in nocte. In die quando Curatus est indutus, et addo, propria veste clericali, non quaecumque, properet, relicto quidquid agat, et secum ferat Sacramenta, praecipue vero Oleum Sanctum, si ad Infirmum vocetur, et moneatur de periculoso morbo, sine quo in repentinis casibus, nunquam ad Infirmos vocatus accederem. Si alia Sacramenta ministret, vide fusius Possevin. c. 5. n. 35.

35 Si vero de nocte vocetur, cautius procedendum est. Regulam dat Possevinus loco citato hoc pacto: *Induat se prius et festinet, quia cum ista obligent moraliter, non tenetur Curatus ire in indusio, aut semivestitus, ut acceleret. Ita universaliter practicatur. Verum est tamen, quod debet festinare, et relinquere omnia, quae non sunt necessaria ad necessarium vestitum: puta, non debet se pulire, lavare, pectere, et se vestire, ac si deberet in die claro, per medium forum transire, maxime cum veste Talari, ut possit defendere corpus ab injuria, quam potest nox illi inferre, ob non absolutam induitionem.*

Verum istis regulis aliquae exceptiones dandae sunt, bona Possevini venia; docet enim id experientia, et decus ministri, et ministerii. Nego igitur, quod Parochus, non se debeat polire, lavare, et pectere: hoc enim non fert decus ministerii, ut irsutis, incultisque comis, palpebris conglutinatis, manibus sordidis, ac omnino impolitis, accedat ad Sacramenta ministranda; licet hoc fieri debeat minori cultura et studio, non omnino tamen omittendum est.

36 De Veste Talari danda ast exceptio. Possevinus vult, quod Curatus non sit subtus totaliter indutus, et haec vestis valeat reparare hyemis aerisque rigorem, sed contrarium experientia docet; nam vestes Talares, praecipue in istis Regionibus, non adeo corpori adnectuntur ut ad id valeant; sed sunt latae, et magnificae, ad aerem ventilandam aptissimae, ideoque magis ad aptae augendum, quam ad comminuendum aeris rigorem. Praeterea ad iter sollicitum pro impedimento communiter habentur; et in ruralibus Parochiis difficilius inservire possunt: pulvere enim aestivo tempore, et coeno, hyemali, impeditur incessus, nisi complicantur aliquo ligamine circa corpus, et inde in ministrando Sacramento ob decus exsolvantur, et ad talos perveniant.

De longo itinere, de pluvioso, intemperatoque Coelo, deque hyemis rigore, et viis inviis loquendo, doctrinam sequor D. Possevini, c. 5. n. 37. 38. et seqq. qui omnimodo vult, Parochum propriae, Animarum Populi sui curam antepone, et juxta diversitatem casuum tum currere, tum festinare: non vero ut semivestitus pergat assentior, repugnat enim hoc decori Ministri, et Ministerii.

37 Idem dicendum de metu propriae vitae, v. gr. tempore pestis, aggressionis, incursus hostium, et similibus: tunc enim nagno se debet proximi amore imbuere, et in Deo fiduciam tenere firmissimam, qui custodiat eum in omnibus viis suis, illud Evangelii respiciens, quod *Bonus Pastor Animam suam dat pro ovibus suis*; de quibus omnibus fusius laudat. Possevin. l. c. et Barbosa d. c. 17. n. 16. et seqq. Verum hoc facilius dictu est, quam factu, et in solo Sacerdote evenire potest, qui vera in Deo erga Proximum suum charitate conflagret,



sciatque Deum Justitiae authorem esse, et tutorem, nec melius et laudabilius posse Sacerdotes mori, quam quasi Martyres. Pensanda tamen sunt tria, nempe tempus, necessitas, et occasio, ut id prudenter eveniat ne illud dicatur Ecclesiastici: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Vide quae dicenda sunt ad Titulum *de communione Infirmorum* §. 8 prope finem.

38 Periculum magnum aliqui volunt esse aeris intemperiem, quae in aliquibus Civitatibus, mensibus Aestivis, et autumnalibus esse solet per allegat. ab Ursaja, *discept. Ecclesiast. Tom. 4. p. 2. dist. 13. a n. 16.* ubi cum Corrad. *in Prae. l. 8. cap. 10 n. 18. vers. quartum, etc.* et Pac. Jord. *Var. lucubr. Tom. 1. praelud. 8. n. 8.* existimat esse impium, et fere inhumanum in tali circumstantia, cum vitae periculo, obligare aliquem ad accedendum ad locum pessimi aeris: sed casus hujus obligationis respicit residentiam, et servitium Ecclesiae, non aëro administrationem Sacramentorum, in quibus major obligatio incumbit Parocho, quam simplici Beneficiato.

39 Quanam poena afficiatur Parochus si Sacramenta ministrare recusaverit ubi obligatus est, videndus Barbosa, *d. cap. 17. n. 34.*

40 *Vocabitur.* Cum ex dictis, de jure Divino, teneatur Parochus ministrare Sacramenta, quaerendum est hic, an ipse teneatur quaerere indigentes, vel tantum debeat ministrare postulantes? Quibus omnibus respondet Possevin. et Barbosa nec non Toledo, et alii DD. Vel hic supponitur necessitatis casus, vel non: In utroque, pro regula generali, debet petentibus ministrare, nec eos quaerere. Nonnullae tamen sunt exceptiones, Toledo *l. 5. n. 4. c. 5.* Affirmat, quod debeat ministrare Sacramenta infirmis morbo periculoso, licet non petentibus, hortando tamen illos ad ea suscipienda. Navar. vero *c. 25. n. 231.* dicit, sufficere si dentur petenti. Inter has opiniones distinctionem hanc affero: vel adest necessitas, vel adest praeceptum (puta Paschale), vel non. Si prior adsit, debet Parochus Infirmos suae Parochiae visitare, et scire, an Sacramento indigeant, de quo videbis quid afferam in Tit. *de visitatione, et cura Infirmorum.* Tempore vero Paschatis, debet eos monere, si negligant, et ministrare. Possevin. *cap. 5. n. 2.* Teneatur igitur in istis duobus casibus quaerere; in aliis, non nisi vocatus ministrare: de quibus omnibus dicti DD. et praecipue Barbosa *d. cap. 20. num. 5.*

41 Insuper debet Parochus monere Populum, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuscumque incommodi habita ratione, et si tunc Parochus neglexerit, peccat mortaliter. Possev. *d. c. 5. n. 3.* et hoc est in casu necessitatis. In casu vero praeepti, cum ipsi manifestum fuerit de negligentia alicujus, ista notitia habetur pro vocatione, et debet ab ista censi vocatus ad ministran-

dum. Semper igitur stat, quod debet vocari, et quod non nisi vocatus teneatur. Textus enim id expresse demonstrat, inquiring: *Quaecumque hora etc. ad Sacramenta ministranda vocabitur;* et ista vocatio habetur pro petitione, quae distinguitur a Possevin. *dict. cap. 5 num. 4.* in explicitam, et implicitam. An vero danda sint Sacramenta invitis, an saepius petentibus, an extra casum necessitatis, an justis de causis deneganda sint, late docet Em. Sá: *Verbo Parochus, n. 4.* Possevin. *loc. cit.* Toledo *l. 5. cap. 5.* et Add. Victorell. alique, pro cujus opinionis coronide ejusdem Victorell. verba afferam circa superenarratos casus ad Toled. *lib. 5. cap. 5. Parochum Animarum esse medicum, et annuos redditus habere ea justitiae lege, ut teneatur juste petenti salutis remedia praebere. Quod si monitus, et vocatus, vel negligat, vel moretur, vel opinioni potius propriae, quam medico fidem praestet, et ideo neget, vel differat administrationem cum periculo Infirmi, proculdubio, non sine gravi culpa id fore autumo, et multo magis si aliquis ob Parochi incuriam, sine Sacramentis moriatur, quia defectus est in re gravi, praecipue si Sacramenta ministranda sint necessaria necessitate medii, puta Baptismus, et Poenitentia, non necessitate praeepti, ut sunt alia.*

§. VI. Ipse vero antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paululum si opportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi, et caeremonias pro temporis spatio praevidebit, et perleget.

42 Eadem est ista clausula, seu conditio: *Si opportunitas dabitur,* ac illa quae legitur in Rubricis Missalis ad locum praeparationis Sacerdotis celebraturi: atque ideo idem cum Gavanto hic noto, non esse peccatum si administraturus Sacramenta orare omittat: et communis omittitur, Gavant *par. 2. Tom. 1. n. 1. litt. C.* Cavendum tamen est ne haec omissio fiat cum scandalo, sive in contemptum rei pertractandae, quia tunc esset graviter peccaminosa.

43. *Paululum, etc.* Tunc brevitate tempus est, non prolixitate: non enim debet Sacerdos adeo se contemplationi dare ante administrationem Sacramentorum, ut taedio afficiantur illi qui ea petunt: sed Oratio debet fieri cum discretione, et respectu ad postulantium incommodum.

*Orationi, etc.* Cuinam Orationi? Pro praeparatione ad Missam assignantur Orationes propriae recitandae: hic vero non,



et Piscara, Corsettus, et alii nihil de hac Oratione loquuntur, sed Rubricam tantum prout stat exponunt. Ego vero puto, quod hic intelligi debeat de mentali meditatione mysterii a Sacramento conferendo importandi, ut sic interius, exteriusque Sacerdos summo Sacerdoti placere studeat. Quod si vocalibus Orationibus potius vacare cupiat, Orationes non desunt, ac Psalmi, qui Sancti Spiritus opem implorent, quidquid immundum, sensuum transgressione commiserit Sacerdos, detergant: puta *Psal. Miserere*, et omnes Poenitentiales. Oratio *Actiones nostras, etc Hymn. Veni Creator Spiritus, etc.* et jaculatoria varia ex locis Sacrae Scripturae desumpta. Sed, ut supra diximus, Rubrica in hoc loco intelligit de aliquali meditatione circa dignitatem, utilitatem, et majestatem Sacramenti ministrandi; quae meditatio clare spectat ad impetrandam cordis, et corporis munditiam, adque ad implorandam Divini numinis opem.

44 *Praevidevit, etc.* Praecipue ex hoc monetur Parochus, qui de recenti munus Parochiale subiit, nec multum calleat Ritus, et caeremonias, in quibus potest instrui legendo, et perlegendo Rubricas. Valet ulterius ista praevidentia ad res disponendas, seu materiales, seu formales pro administratione Sacramenti, et ad intentionem renovandam, de qua inferius dicemus. Solebat Cl. Mem. Card. de Verme olim Episcopus Ferrarien. Sacerdotibus noviter consecratis, et ad Parochialem aliquam Ecclesiam designatis injungere, ut quotidie perlegerent caput unum Rubricarum, sive Missalis, sive Breviarii, sive Ritualis, donec memoriter illud tenerent, et hoc ut facile haberent ad manus resolutiones in casibus administrationis Sacramentorum, seu recitationis horarum Canoniarum.

§. VII. In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper Stola ejus coloris, quem Sacramenti Ritus exposcit, nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

45 Generaliter hic ponitur omnis Sacramentorum administratio, eo quia iste vere est habitus religiosus, et majoris venerationis, per quem debent Sacerdotes distingui in ministrandis Sacramentis; juxta allegat. a Div. Thoma *suppl. ad qu. 40. art. 7.* quae refert Summus Pontifex Benedictus XIII. feliciter regnans in *Lectionibus sup. Exod. p. 2. Lect. 49. n. 30.* ubi: *Vestes Ministrorum designant idoneitatem, quae in eis requiritur ad tractandum Divina.* Casal. *d. c. 35.* observat quod Ecclesias-

ticorum habitus, quibus in Sacris Ritibus utuntur, distingui debent ab illis qui in usu communi eorundem sunt extra Ecclesiam, Superpelliceum designat candorem, munditiam, seu puritatem juxta illud, *Eccl. 9. Omni tempore vestimenta, idest opera tua sunt candida, et munda.* Propter nomen vero suum carnis mortificationem figurat, Durand. *l. 3. c. 1. n. 10.* In omni igitur Sacramentorum administratione (demptis casibus necessitatis, qui nonnisi in Sacramentis Baptismi, et Poenitentiae evenire possunt, ut inferius dicemus) uti debet Sacerdos superpelliceo, et stola; *Religio enim*, ut monet D. Hieronymus *lib. 14. sup. Ezech. alterum habet habitum in usu, alterum in ministerio*, et Piscara *l. 2. sect. 1. c. 10. n. 1.* a quo declaratur superpelliceum proprium Clericorum indumentum. Vide privilegium PP. Societ. Jesu in his Commentariis ad Titulum *14. de Sacramento Poenitentiae. §. 4. in fine.*

46 De superpelliceo, ejus nomine, etymologia, significatione, et usu, deque illius varia forma tractant Durand. *l. 3. c. 1. n. 10. et 11. Gavant. part. 2. t. 1. n. 2.* Piscara *lib. 1. sect. 1. c. 9. 10. sect. 14. cap. 1. n. 4.* Casal. *c. 35.* Menag: *Orig. ling. Ital.* et alii quamplurimi, quos omnes antecelluit eruditione doctissimus Macri in *Hierolex.* ubi omnia, vel saltem potiora de hoc indumento, et ejus usu aequae erudite, ac diligenter exponit: a quibus, et aliis nonnulla observatione digna eruam. Superpelliceum idem est ac Cotta, non vero Cotta illa, quae apud Menag. *Orig. Ling. Ital.* dicitur Vestis talaris ac Muliebris a *Crocota* derivata, de qua Cic. *de Arusp. Resp.* et Author Poematis *Ceiris*, quod Virgilio attribuitur: *Quae prius in tenui steterat succinta Crocota*, de qua plura Scaliger. Quod talis numeraretur Vestis inter antiquos lego apud Pignor. *de Orig. Pad.* his verbis: *Avevano gli Antichi una Veste per le femine, che chiamavano Crocota, e Crocotola, dalle quali vengono la Cotta voce Franzese, e la Cottola.* Verum ista Vestis Ecclesiastica, et ad usum Sacrum non valde antiqua est, nec mulieribus inservit. In aliquibus Senensis Ecclesiae Caeremonialibus MSS. *Cocca*, et alio nomine *Camisia superanea* vocatur. Sed de nomine satis: ad ejus usum, et formam procedamus.

*Cotta* Tunica Clericis propria vocatur ab Alexandro IV. *lib. 6. epist. 256.* hoc pacto: *Clerici induti Vestimentis sericis, aut superpelliceis, sive Cottis vadant processionaliter.* Insuper charta Petri Episcopi Anagrini apud Odor. Raynald. *Ann. 1299. n. 30.* de ea mentionem habet: *Diaconus stet cum Cotta, et Stola, et Subdiaconus, et Acolytus cum Cotta.*

Ejus forma sic praescribitur a Bauldrio *loc. cit.* *Cottae sint Manicis ita oblongae, ut crispatae usque ad summos digitos pertingant, quae esse possunt cubitis circa duobus; late au-*



tem patentibus in Orbem circiter cubitis quatuor. In ipso ore potius forma sit rotunda, quam quadrata: A pectore nullo modo scissa. (ita iudico auferri posse ab usum ligandi hanc scissuram fibulis argenteis, vel sericis amentis, et quod pejus est, versicoloribus, non albis) longe ducatur infra genua fere ad media crura: late pateat ab extremis oris ambitus cubitis circa tresdecim, ab humeris circiter octo. A nulla parte neque nimis affectata artificiosi operis elegantia elaborata, ab humeris praesertim, non specioso artificii ornatu. Atque ista forma a Div. Carolo Borromaeo praescripta fuit per allegat. a Marcell. Cavalier. *Rett. Eccles. tit. 20. n. 36.* et cum ista sit Vestis atque ornamentum ad usum Sacrum comparatum, ex Ecclesiae instituto benedici debet, nec, adhiberi potest priusquam solemnibus precibus ab Episcopo, vel ab alio, qui potestatem, seu auctoritatem habeat, benedicatur. Ita D. Carolus, in 2. *Synod. Prov. med. Decr. 20.*

In aliquibus Ecclesiis, et praecipue Venetiis, adhuc primae-va superpellicei forma retinetur, nempe ea rotunditate antiquae Planetae sine manicis, sub qua, e lateribus, brachia extolluntur.

Pro superpelliceo Davantria intelligit *Rochettum*, quia sub Cappa pellicea gestatur, et id quod nos Rochettum dicimus, ipse Cottam appellat, quae est Tunica Clericis propria: Dufren. *Gloss. med. latin.*

Istae Cottae olim erant talaris, Gemin. *de antiq. lic. Missae l. 1. c. 132.* inquit: haec Vestis est laxa, qua clericalis vita debet in eleemosynis, et in bonis operibus esse larga: est etiam talaris, quia docet usque in finem perseverare in bonis. Idemque Author addit, quod tempore Quadragesimali superpellicea gestabantur ex lana contexta in signum maestitiae, et humilitatis: *Diebus Quadragesimae, vel alio congruo tempore laneis tunicis utatur, l. 1. c. 133.* Sed hic non loquitur de Cotta, seu superpelliceo, ut supponit Macrius, sed de Tunica, quae diversa erat a superpelliceo: Consilium enim Basileense *sess. 21.* ait: *Clerici horas Canonicas dicturi cum Tunica talari, et superpelliceis mundis, ultramedias tibias longis, vel Cappis, etc. ad psallendum ingrediantur.* Nihilominus aliquando ista vox Tunica pro Cotta accepta fuit, sed nunquam cum titulo Talari, Casal. *c. 35.* Igitur superpelliceum est Tunica parva non ultra genua, Italice Cotta nuncupata, inserviens administranti Sacramenta quaecumque, quae definitio omnes alias a tot Authoribus allatas exsuperat. Construuntur huiusmodi parvae Tunicae ex lino, vel simili materia, ut maculae possint lotionem facilius abstergeri, et candor resplendeat, quemadmodum etiam Deus praecipit, *Exod. 28. Filius Aaron Tunicas lineas parabis in gloriam, et decorem;* et per *Levitic. 16. prohibetur*

Sacerdoti ingresus in Sanctuarium nisi fuerit hac Tunica vestitus.

47 Debet itaque Minister Sacramentorum indui Cotta, et Stola. Hinc patet abusus illorum, qui Cottam, et Stolam supra brachium portantes, seu supra humeros, ad modum sarcinae indecenter incedunt; et potius gravati, quam induti sacris vestibus administrant. A temporis fortasse brevitate, et angustia inducti hoc faciunt, quasi ad induendam Cottam, hora integra impendi debeat; et ad nihil aliud, quam ad pompam, et ostensionem ista indumenta deserviant, quando veram, ac propriam habent significationem, ut supra exposuimus. Cum enim sint tamquam lorica, et armatura contra spirituales hostes, vero armari debemus ad luctam, non ad fictum certamen.

48 Hoc ulterius abvertendum est pro Corollario: pia nempe consuetudo recitandi orationes in eo actu, in quo Sacerdos, seu Clericus induit sacras vestes, videlicet, ad Cottam: *Induat me dominus novum hominem, etc.* et ad Stolam: *Reddemih Domine stolam, etc.* quae ad majorem ministerii meditationem inserviunt; de consilio autem hoc est, non de praecepto. Vide Gavant. *P. 2. Tit. 2. n. 2. l. t. B.*

49 *Desuper Stola, etc.* Supra Cottam, ut visibilis appareat, collocanda est Stola, ac etiam, ut facilius mutari possit suo loco, et tempore, ac porrigi iis, quibus in varia ministracione porrigenda est.

De Stola, et ejus origine plura notat Durand. Gavant. Macri, Casal, et alii. Alio modo Orarium dicitur, et est indumentum Sacerdotale antiquissimum, et ab Apostolis adhibitum juxta asserta per Cedrinum apud Bulenger *l. 1. c. 28.* relatum a Gavant, et ad collum pendens defertur, cujus significaciones variae sunt, et piissimae apud dictos Authores. Praecipue vero Jugum Christi suave indicat apud omnes, funemque quo Christus ligatus fuit, et ad mortem tractus.

Imponenda est collo cum osculo, et recitatione Orationis *Redde mihi, etc.* ut supra diximus, et item cum osculo dependenda ad denotandum ascensum, et desiderium, quo subjicitur Minister huic jugo. Durand. *1. 3. c. 5. n. 1.* Toled. *Inst; l. 2. c. 2.* Praescribitur ejus forma a Bongiovanni in *sacra caeremoniarum sylva*, et a Cavallerio in *Rect. Eccles.* nec non a Bauldrio in *c. de mensuris propriis sacrae suppellectilis*, ex Actis Mediolanensis Ecclesiae D. Caroli Borromaei, hoc pacto: *Sit Stola longa cubitis circiter sex, ut infra genua producantur; lata autem unciis sex pateat: laciniae, seu frangiae unciarum trium sint, et praeterea Cruces † tres de more annectantur eidem in medio, et in extremis partibus. Unaquaeque Crux sit formae quadratae, quas ab omni parte unciis circiter tribus constet.* Haec de ejus forma: nunc ad ejus usum, et modum eam collo imponendi descendamus.



Imponitur Stola secundum communem, et veriore sententiam, contra recentiorum nonnullorum opinionem, non longe a collo, premens cervicem, et utrumque humerum. Conc. Bracaren. 3. cap. 3. nulloque modo premere potest cervicem, nisi sit prope collum. Debet ulterius descendere per anteriorem ad dextrum, et sinistrum latus, qua *per arma justitiae a dextris et a sinistris*, idest in prosperis, et in adversis, Sacerdos debet esse munitus, quatenus nec adversis, nec prosperis elevetur. Durand. l. c. Macri, et Bauldri p. 3. t. 1. n. 5. statuunt praecipue, quod Stola ad collum debeat geri, non projiciendo illam ad medios usque humeros (quia hoc convenit tantum Episcopis) qua de causa ejus brachia non extenduntur usque ad genua, ut monuit Bles. Ser. 41. Et hoc est nomini consonum; a Graecis enim Stola dicitur *Epitrachelion*, quod Torquem, vel collare significat. Item Innocentius III. l. 1. de myst. Missae, ait: *Debet ergo Sacerdos secundum decretum Bracarenensis Consilii uno eodemque Orario cervicem, et utrumque humerum premens signum Crucis in pectore suo praeparare. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debita subiacebit.* Imo clarius praecipit antiqua Rubrica Missalis, quae sic exponebat Orationem recitandam in actu sumendi Stolam: *Stola justitiae circumda Domine cervicem meam;* et in hoc concordant praecipui Sacrarum caeremoniarum Scriptores cum Tonell. Tit. 1. Rub. 5. n. 3.

Tenantur igitur Clerici, et Sacerdotes saeculares Stolum, et Cottam induere dum Sacramenta ministrant, et id ab hac Rubrica praecipitur, quod prius monitum fuit a S. C. Episc. 8. Nov. 1588. apud Corsett. Tr. 2. p. 1. sect. 1. Hoc etiam in Synodis potioribus ab Episcopis jubetur, et D. Carolus Borromeus latis verbis hoc idem innuit in Const. Synod. Mediol. p. 2. vers. *Studeant*, ubi ait, *Semper et Stolum, et superpelliceum induant in administrationem Sacramentorum*, et illud semper notandum est, quod omnem adversam interpretationem excludit, et perpetuitatem importat, ut notant Socin. Roland. Surd. atque alii apud Pasqualig. de Sac. nov. Leg. T. 2. quaest. 1176. n. 10. De signo, et jurisdictione per Stolum denotata, plura dicemus in Tit. de exequiis, suo loco.

50 Stolae ulterius, quae administrationi Sacramentorum inservire debent, cujuscumque coloris sint, se junctim haberi debent a Stolis, casulis conformibus, et consociis, ne inaequaliter, ac praeventive deformatentur, seu deturpentur, et ut commodius prae manibus sint Sacerdotum, et Ministrorum. Quod videtur innuere Cavaller. d. t. 21. num. 24.

51 52 Modo de Coloribus Stolae dicendum. Cum itaque quinque sint colores quibus utitur in misteriis suis Ecclesia, nempe Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, et Niger, quaerendum est hic quare Scriptores, praecipue antiqui sacrorum Ri-

tuum, quatuor tantum Colores describant Violaceum excludendo? Quaestionem hanc, annis elapsis, ausus fui proponere per epistolam doctissimo, et omni laude dignissimo Antistiti Pompejo Sarnellio Episcopo Vigilien, de rebus Sacris, et Ecclesiasticis peritissimo, et optime merito. Hic, de more, humanissime mihi responsum fecit pariter per epistolam sub die 6. Decembris 1704. is verbis: *Antecessores nostri eo modo, quo Sacrarum Vestium usum a veteris Testamenti Sacerdotibus desumpsere (dicit enim Honorius in Gemmal. 1. c. 89. D. Clementem Pontificem ita statuisse, ex traditione D. Petri, et de facto habemus, similiter fecisse Apostolos, ut videre est apud Macrium in verbo Colobium,) ita quoque quatuor colorum consuetudinem vindicavere, aliquo modo correlative ad purpuram, byssum, coccum, et hyacinthum: nempe Album ad significandam gloriam, gaudium, et innocentiam: Rubrum ad denotandam excellentiam graduum super alios: Viridem tamquam medium inter colores pro diebus ferialibus et communibus: Nigrum denique ad demonstrandam abstinentiam, maerorem, et tristitiam pro Defunctis. Temporibus Innocentii III in usu erat color Niger iis diebus, in quibus modo utimur Violaceo; et Alcuinus ait, quod in cereorum Benedictione, et Processione utebantur nigro colore ad denotandam Simeonis Prophetiam de Virgine Matre: Tuam ipsius Animam doloris gladius pertransibit. Tractu temporis color Violaceus introductus fuit ad significandum maerorem, et abstinentiam: sed tantum in die festo SS. Innocentium ad illorum caedem commiserandam; et in Dominica Laetare, quia dies erat abstinentiae. Deinde pro peccatis et defunctis ampliatus fuit iste color, ut notat Innoc. III. et ita usus invaluit. De facto cadavera Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, et Subdiaconorum Violaceo colore vestiuntur. Tandem Violaceus color designatus est pro afflictione, abstinentia, et peccatis, et Niger pro defunctis: Atque ita Violaceus, qui antiquitus non erat in usu, vel certe raro, remansit apud nos pro quinto colore Ecclesiastico. Hodie color aureus in usu venit, et inservit pro albo, et pro Rubro in solemnitatibus, unde habemus à Balsamone, l. 2. Hist. cap. 27. Constantinum Magnum dono dedisse Machario Stolum auro contextam.*

Haec, et alia nonnulla rescripsit mihi doctissimus ille Antistes, quae posmodum varia eruditione ampliavit, et epistolam compegit Ecclesiasticam italico idiomate, quae in aliis suis epistolis inserta est. T. 4. ep. 46. pag. 89. Typ. Venet. 1716.

53 54 Colores igitur Ecclesiastici quinque hodie sunt, nempe Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, et Niger; quos plene descripsit, atque explicavit Summarinus in Sacerdotal p. 3. pag. 19. ubi animadversione dignum est, quod cum de coloribus Ecclesiasticis tractare instituat, dicit de Quatuor coloribus, etc.



et deinde eos explicans per capita separata, demonstrat esse quinque, Violaceum superaddendo. Qui colores, sufficit, ut emineant aliquo modo in textura operis, licet totaliter unius coloris opus non sit. Hujusmodi colorum Stolas debet in sua suppellectili sacra adnumerare quilibet Parochus, et eas, ut diximus, habere promptas et paratas se junctim ab aliis vestibus sacris. Absit vero penuria illa (heu quam sordida!) versipelles Stolas adhibendi duplicis coloris, seu utraque parte varie coloratas, adeo repente de uno in aliud ministerium, seu ad aliud Sacramentum ministrandum transiens Sacerdos, fiat scenae mutatio sine loci, et rei diversitate, nec alio modo nisi Stolum invertendo, et pannum subsutum pro vera facie demonstrando, seu suppeditando. Difficile credo dari posse in Ecclesia Parochiali, licet exigui patrimonii, talem penuriam (quae tamen in aliquibus locis, me erubescendo, data est) unice a Parochorum ignavia, et negligentia provenientem. Sed ad alia.

55 Quando Sacerdos ministrare debeat Sacramentum, cui conveniat color Albus, Albam Stolum sumere debet; quando cui competat color Violaceus, seu Niger, Nigram, seu Violaceam sumere opus est, nec confundere Stolum inconvenientem Sacramento, seu Sacramentali. Rubricae satis clare loquuntur, et docent quinam color rei ministrandae conveniat.

56 Verum Textus cognovit dari posse necessitatem, et casum in quo commode Sacerdos uti non possit Cotta, et Stola. Sed iste casus dari potest unice in Sacramento Poenitentiae, quia ubique locorum et quacumque hora istud Sacramentum ministrari potest. Sed non ubique locorum, nec in quacumque hora Sacerdos potest habere Stolum, et Cottam. Potest etiam dari casus repentinus administrandi Baptismum in necessitate, et tunc etiam Sacerdos dispensatur ab usu Cottae et Stolae, non tantum ob subitaneitatem casus, sed etiam quia hoc Sacramentum ministrari potest a quacumque persona, non a solo Sacerdote. De Matrimonio non loquor. In hoc Sacramento Parochus est tantum Testis omni exceptione major, et quodcumque (illicite tamen) dari potest casus, quod clandestine, et ex tempore, quocumque in loco interpelletur Parochus ad assistendum alicui Matrimonio: tunc certe, cum id praevideri non possit, ita facile Cotta, et Stola non erit illi prae manibus.

Addit Textus noster exceptionem consuetudinis, et loci aliter interdum suadere. Haec consuetudo non adhibendi Cottam, et Stolum in Sacramento Poenitentiae, praecipue viget apud nonnullos Regulares, qui in habitu tantum suae Religionis, et quandoque etiam cum Pallio confessionalibus insident, et prostant cuicumque volenti. Limita semper hoc licere quando ita non fiat in contemptum Sacramenti, quia tunc quando

Sacerdos sic ministrat, et contemnere intelligit, graviter peccat. Reginald *Prax. for. l. 29. n. 112.*

§. VIII. Adhibebit quoque unum saltem si habeat, vel plures Clericos, prout loci, et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu, et superpelliceo pariter indutos.

57 58 Textus noster supponit abundantiam Clericorum, seu ministrorum. In Civitatibus valet haec propositio; in Parochiis vero ruralibus non semper adhiberi potest haec diligentia, eo quia (loquor de Clericis) saepe saepius in Villis magna est penuria Clericorum; et quambis Conc. Trid. *sess. 21. cap. 4.* injungit, ut ubi unus Rector non sufficit Populo, adjungat sibi Sacerdotes, et Ministros competentes quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum, et ad hoc compelli possint Rectores Ecclesiarum, juxta Decret. S. C. consilii: attamen inopia Ecclesiarum in aliquibus locis ad hoc non valet, unde magna omnium admiratione, pro Ministris adhibentur quandoque foeminae, quae ipso jure a ministerio Altaris arcentur, ut communiter docent Doctores allegati a Pasqualigo *de Sacr. nov. leg. T. 1. q. 342. n. 1.*

Circa quod regula generalis est, debere quaecumque Parochialem Ecclesiam eam dotem habere, quae non solum sufficiat pro Rectore, sed etiam pro uno saltem Clerico Ministro. Ita Bellet *disq. Cler. P. 1. §. 15. n. 4.* qui dari docet stipendium Clerico non propter indigentiam, sed propter servitium *d. n. 13.* non enim minori annuo reddito decenter vivere potest Parochus, cum unum saltem Clericum illi inservientem habere debeat; nam solus esse non potest, Cassad. *decis. 19. n. 1. de Praebend. Rot. divers. p. 2. dec. 56. num. 10.*

59 60 In casu tantae penuriae quicumque vir baptizatus adhiberi potest, tamquam Socius in hujusmodi administratione, puta Eucharistiae, in cujus ministerio, ad decus Sacramenti, plures manus necessariae sunt. Possevinus addit, quod in casu necessitatis sufficeret unus minister; et si non posset haberi mas, credit, quod sufficeret foeminae, quam unice ego admitterem, loquendo de Monialibus, intra quarum Septa non nisi Confessarius admittitur, pro administratione Sacramentorum. In hoc casu non currit Rubrica hujus Textus, quod scilicet, superpelliceo pariter haec foemina induatur; immo addo, quod neque superpelliceo indui possit qui non sit Clericus, eo, quia Cotta, seu superpelliceum, ut alias diximus, proprie vestis est Ecclesiastica ad usum Clericorum, non vero Laicorum, nisi isti Laici sint Religiosi Regulares, eo quia in hoc casu tales Laici,